



Dette værk er downloadet fra **Danskernes Historie Online**

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM

IN

C U L I G E M,
CARMEN VIRGILIANUM.

EXAMEN PUBLICUM

IN

SCHOLA CATHEDRALI OTHINIENSI

A. D. XII. SEPTEMBR. MDCCCXXV.

RITE HABENDUM

INDICTURUS SCRIPSIT

J. KRAG,

ADJUNCTUS SCHOLÆ.

Hannoverianus et hibernianus et Bibliothecarius



O T H I N I A E,

EX OFFICINA SEVERINI HEMPEL.

Gothaische pedagogische Studien



Quemadmodum hominibus in omnibus et vitæ et studiorum rationibus, seu vitio naturæ, seu fato quodam plerumque accidere solet, ut, cum alios alia delectent, quod quisque semel amplexus est studium, ad id omnes laudes translatas velit, alienum quocunque minoris esse putans, nec de suo honorifice sentire sciat, quin de alienis inique judicet: ita in duobus epicæ artis coryphæis, altero Grajo, altero Romano, dijudicandis nonnullos versatos fuisse videmus viros doctos, et qua in re aut huic, aut illi maxima gloria deberetur, in illa ipsa eum vellicare non dubitavisse. Cum enim et illud constaret, Virgilium Homero par esse, quam potuit maxime, studuisse, et eorum, quæ ille ab hoc accepta in sua transtulisset, diligens observatio multum quidem vel utilitatis vel jucunditatis haberet: fuerunt quidam tam coeco Homeri amore capti, ut Virgilium tanquam vilem imitatorem carperent; alii rursus hujus, ut eum ceteris, ne Mæonio quidem vate excepto, longe anteponerent. Utrumque certe male; nam neutri horum gloria a vituperatione alterius quærenda opus est. Qui autem uni vel alteri de debita laude detraxerunt, ii aut, animis opinione quadam præoccupatis, quid verum esset, pervidere non potuerunt, aut ex iis, quæ præstantissimi omnis memoriae viri exquisitissimis laudibus celebraverant, temere et audacter carpendis sibi aliquod subtilis judicii nomen consciendum speraverunt; aut eo forsan metu



movebantur, ne ex auctoritate aliqua penderc viderentur. At neque hujus loci est, ineptam istarum opinionum inanitatem vel errores refutare, neque mearum virium, qua in re uterque poeta peccaverit, si omnino peccavit, monstrare; verumtamen ne latius evagetur, omissis, quæ docti homines Virgilio ad imitationem Homeri inventa, dicta et expressa jam pridem observaverint, multis locis tantam quidem inesse similitudinem, ut hic illum non modo imitatum, sed interdum etiam interpretatum, et pæne verbis verba redditisse vieleri debeat, id neminem, qui utriusque carminibus attentum adhibebit animum, fugere poterit. Neque tamen, si hoc concedimus, Virgilium in Aeneide Homeri vestigia sectum esse, inde statim efficitur, eum nullis suis laudibus abundare; nam neque unum Homerum imitatus est, sed ex aliis etiam pulcherrimum quodque in suam certe rem convertit; et si summam epicis carminis ad exemplaria Homericæ conformavit, singula tamen multa aliorum tam scite et docte expressit, ut sua fecisse dicendus sit. Neque magis, quod Gallofrancus iste dixit, Homerum, si verum sit, quod vulgo perhibent, ex illius tanquam fontibus Maronem sua hausisse, nihil pulchrius nunquam edidisse, id nostris hominibus comprobatum iri arbitramur. Sit igitur Homero, quo nihil divinius, inferior ac minor Virgilius; cedant Græcis omnino Latina. At nihil tamen inveniri posse, quod ad illam Græcorum perfectionem proprius accedat, hæc etiam cum illis conjunctissima esse, nec posse altera ab alteris separari, nemo non judicabit. Quare si quis arctissimam hanc colligationem, qua ipsa natura illa bina devinxisse videtur, dissolvere vellet, ut aut Græcorum amoenitate delectatus, in illis solis moraretur, et nihil studii Romanis tribueret, aut his contentus maxime copiam orationis exultæ,

~~~~~

et bene latimæ, inde comparandam, sectaretur, ultraque multo lumine destituta fore, sentiret, et male suis studiis consuleret. Deinde cum lingua Latina, cuius quippe scientia a renascentium literarum tempore instrumentum factum est, ad omnem solidæ doctrinæ copiam ac integrum earum literarum, quæ ab humanitate nomen duxerunt, cognitionem nobis pariendam plane necessarium, carere non possimus, hujus autem lingvæ facultas ex libris Romanorum reliquis petenda sit: illud profecto consequitur, ut omnibus, qui his studiis operam qualemque navamus, cum nullum literarum Graecarum aut Romanarum monumentum prorsus alienum esse debeat, tum illum fas sit ex omni Latinorum poetarum cœpia esse carissimum, qui et gravibus sententiis, et omni sermonis nitore ac elegantia ornatus, proxime omnium ad Homeri pulchritudinem accessit; in quo, quæcumque vel absiduo studio vel a præclaro ingenio proficiisci potuerunt, invenies, et id, quod quidem rarissimi inter veteres exempli est, cum summa verborum et rerum castitate copulata. Ad cuius commendationem illud etiam facit, quod carmina ejus plerosque nos a teneris ungibus pueros mirum in modum ceperunt, matura jam ætate, viros tenent ac revocant; ad quem igitur quoties redibimus, quodammodo repuercere et omnes ejus ætatis svavitates relcgere nobis videbimus.


Sed Virgilium defendendum non suscipiam, veritus, ne idem mihi eveniret, quod olim sophistæ, Herculem apud Lacedæmonios laudare paranti, accidisse tradunt. Video, quam nihil egeat defensorre ille, quem, ut in Apollinem dixit nescio quis poctarum Graecorum, omnibus facile esset laudare, cum tanta sint laudum argumenta. Id etiam me commovet, ne, quo tempore aliud quiddam instituo, ea, quæ proposito minus adjuncta sint, aggredi videar. Hoc autem



in præsentia monere licebit, sive ars et doctrina in Latino vate minus valuerint, quam ingenium et natura in Mæonio, ut multis visum est, sive idcirco inferior fuerit, quod mores hominesque longo et temporis et regionis intervallo remotos, sibi adumbrandos sumserit, alter vero suo ævo proximos, nec adinodum diversos, res antem, quibus ipse pænc interfuerat, ita quidem tunc in ore hominum celebrabantur, aliud tamen genus esse, in quo ille tanquam in regno suo cōseditte existimandus est. Sunt vero hæc Bucolica. Nam etsi minime ignoramus, poetæ etiam in his græca exemplaria ante oculos fuisse, tamen, quod ipse, prima ætate rure transacta, pastorum et agricultorum mores ac vitæ genus ex diuturna et familiari consuetudine cognita habuit, videtur in Bucolicis et Georgicis nativam quandam suavitatem, magis ingenio et rebus ipsis partam, quam artificio excultam, assecutum esse. Quibus quasi progymnasmatis, ut Græci ajunt, cum peritiam argumenti tractandi et facultatem orationis cultioris sibi perisset, tum demum majori operi instituendo se dedit, quod nobis monumentum ingenii et artis suæ pulcherrimum reliquit. Quo autem, si testes deessent, opinio nos ferret, poetam non subito politissimum exstitisse, qualem in his jam videmus, sed prius etiam vires exercuisse suas, id certis veterum testimoniis confirmatum habemus, quorum ea, quæ carmen, Culicis nomine inscriptum, attingunt, in sequentibus afferentur. Quanquam igitur felicius hac in parte cum Virgilio actum est, quam cum plerisque aliis Latinis & Græcis scriptoribus, quorum juvenilia exercitia oblivio plerumque delevit: tamen quæ ejus generis nonnulla ad nos pervenerunt, ea cum omni tempore criticorum manus parce subierunt, tum nunc per multos annos neglecta jacuerunt, insita opinione, quod ipsa vel ab egregio vate non

prospecta essent, vel nimis multa partim corrupta ac mutilata, partim temere adjecta haberent, unde molestiam et difficultatem legentibus necessario objiceretur; vel quod omnino levioris notæ essent, quam ut ex illis ulla magna voluptas percipi posset. Ita factum est, ut, cum per omnes Europæ terras infinita quædam hominum exstiterit multitudo, majore minore ingenio et doctrina præditorum, qui ex libris Græcis et Latinis assidue pervolutandis, nec non accurate ac diligenter emendandis vel illustrandis præcipuam sibi laudem quæsiverunt, et delectationem ex hoc studio percipientes, omnes ingenii nervos in eo perficiendo contulerunt: admodum tamen pauci in hæc carmina, quæ, sive Virgiliana, sive aliorum quorundam, ex omnibus fere Romanorum scriptis, vel temporum vel hominum culpa maxime corrupta ad nos pervenerunt, neque purgari posse videntur, nisi novis scriptis libris iu lucem prolati, polienda incubuerint.

Plura olim inter minora Virgilii carmina habebantur, quæ nunc aliis auctoribus vindicata sunt, ut Diræ Valerio Catoni, Aetna Cornelio Severo. Irrepserat enim ille error ex consuetudine librariorum, qui, ut vacnas nonnullas chartas explerent, codicibus, quæcunque minora in manus venissent, adscribere solebant. Quæ hodie ex Virgiliana Musa nata putantur, sunt hæc ferc Culex, Ciris, Moretum, Copa, Analecta; Priapeia præterea et alia epigrammata quædam. De his ipsis tamen plerumque dubitant, quibus auctoribus singula tribuenda sint; quæ quidem res neque satis firmis argumentis probata est, neque probari omnino posse videtur. Subjuncta sunt ea, quæ nuper diximus carmina, majoribus multis Virgilii editionibus, iis maxime, quæ duobus proximis sæculis, postquam libri prelo excudi coepti sunt, prodierunt, ita tamen, ut non omnes eadem contineant, sed aliis alia



desint. Sic editio princeps, quæ anno 1467 prodiit, Culicem, Copam, Moretum, Priapeia et minora quædam habet, quibus in altera ejusdem libri recensione Ciris accessit. Repetita sunt deinde, nulla memorabili lectionis varietate, saepius. Anno autem 1517 prodiit cura Asulani liber, qui multa ex codice Bembino perantiquo immutata habet, inscribitur quidem ille:

*Divisorum poetarum in Priapum lusus. P. V. M. Catalecta, Copæ, Rosæ, Culex, Diræ, Moretum, Ciris, Aetna, Elegia in Moecenatis obitum, et alia nonnulla, quæ falso Virgilii creduntur. Argumenta in Virgilii libros et alia divisorum complura. Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ socii.*

Ex quo autem hæc collectio, saepius post typis repetita, primum prodiit, nemo his opusculis aliquam impendisse operam videtur, donec Josephus Scaliger anno 1573, in appendice Virgiliano, ex duobus membranis multa aliter edidit, multa etiam ipse sine codicu[m] auctoritate immutavit. Qui liber, alias repetitis aliquoties vicibus prela expertus, animadversionibus ipsius editoris et Lindenbrogii quibusdam auctus, in lucem prodiit Lugduni Batavorum, anno 1595. Etiam Ascensius hæc opuscula omnia commentariis instruxit, Pomponius Sabinus ac Domilius Calderinus singula nonnulla. Ejusmodi quidem catalogum longe uberiorem facili opera adferre possem, nisi hue repeterem verceret, quæ Heynius in elenco codicum et editionum ac prooemiiis, quæ singulis carminibus præmisit, diligentissime enumeravit. Clarissimus enim ille vir eorum non modo, quæ superioribus temporibus usque ad ætatem ipsius in hæc opuscula studiis doctornm virorum collata erant, etiam quæ Casparus Barthius, Friesemaunus, Nicolaus Heinsius, Jacobsius, Johannes Schraderus in singulos locos purgandos vel illustrandos tentaverant, potiora fere omnia, adjecta copiosissima, quam potuit, lectionum varietate, in editionem

suam majorem recepit; omissis tamen minoribus ex his carminibus,  
 quæ anno 1759 jam Burmannus Secundus Anthologiæ suæ inseruerat.  
 Sua quoque nonnulla adjecit, quæ tamen neque valde diligenter scripta  
 sunt, neque exspectationi justæ respondent. Ne vero sumnum virum,  
 qui, quantus fuerit in literis politioribus, satis superque ostendit in  
 præstantissimis utriusque veteris linguae scriptoribus, quos multos i-  
 psius studio et doctrina nitidiores ac emendatores in lucem prolatos  
 possideamus, in hisce carminibus illustrandis non pari diligentia ac  
 fide usum fuisse, miremur, meminisse fas est, eum, prioribus tribus  
 voluminibus jam prelo excusis, tum demum de hisce opusculis quarto  
 volumini addendis consilium cepisse, neque, cum urgeret tempus,  
 tantum in his, quantum in illis Virgilii potioribus, quæ omnium ma-  
 nibus teruntur, contendere potuisse. Quod autem in prima editione,  
 temporis brevitate impeditus, facere non potuit, id, cum illa secun-  
 dis et tertiiis curis repeteretur, non operæ pretium duxisse videtur;  
 siquidem opuscula hæc cum non Virgilii esse censebat, tum omnino  
 non tanti esse ducebat. Quare ignoscendum quidem, si nonnulla  
 tanti viri subtilitate minus digna, nec, cum non pauca corrupta et  
 depravata legantur, multa etiam nunc tenebris obruta videantur, ~~non~~  
 magnam aliquam ejus incommodi partem sublatam cognoverimus;  
 opera autem ejus, qua omnem illum apparatus, Bembi, Scaligeri et  
 aliorum curis debitum, in unum quasi corpus, usui nostro inserviens,  
 congescit, plurimum gratiæ a nobis consequetur. Post Heynium  
 operam in hæc contulerunt, quod resciscere licuerit milii, viri cla-  
 rissimi Frid. G. Klopfer, C. D. Ilgen, et F. H. Bothe. \*)

\*) Moretum, quod Virgilio adscribitur, cum versione vernacula et animad-  
 versionibus paucis ed. Frid. Gotthilf Klopfer. Zwicciæ, 1806.



Etsi igitur his carminibus non defuisse studia eruditorum fatendum est, tamen ut cum voluptate perlegantur, duo desiderantur, unum scilicet, illa, quæ plurima cum in ceteris, tum vero maxime in duobus majoribus, Culice nimirum et Ciri, exactiore interpretatione egeant, dilucidius explicari; alterum, quæcunque adhuc resideant, inscritia librariorum mendose descripta, vel aliunde invecta, emendari aut deleri. Quod autem secundo loco posuimus, id ex certa ratione sieri nequit, nisi erutis e latebris suis novis libris scriptis, si omnino extant quidam, memorabili lectionis varietate insignes. Quorum impetrandorum quamdiu spes præcisa videtur, unum remedium ejusmodi maculis sanandis reliquum est in conjiciendi felicitate. Qua quidem libertate, ut rei natura fert, modeste et parce utendum, nec nisi in vitiosis locis, qui nulla alia via expediri possint, in quibus ergo ingenium codicis munere fungatur; ita ut conjectura ipso literarum ductu probabilis plerumque fiat. Sed qui pro eis, quæ lectione vetere recepta sunt, sua temere substituat, is corrigere potius, quam emendare, et ad exemplum Diomedis Homerici æs pro auro vendidisse dicetur. Ita tamen in nonnullis horum opusculorum, præsertim in Culice et Ciri, versatus est Scaliger. Quem, dum nævos, a scriptis libris per excusos omnes propagatos, extergere voluit, adeo in vitium duxit culpæ fuga, ut si eum ducem in ordine versuum constituendo et ipsis verbis immutandis sequeremur, vix imago carminis superesset.

Animadversiones philologicæ et criticæ in carmen Virgiliandum, quod  
Copa inscribitur, ed. D. Carolus David Ilgen. Halæ 1820.

Virgilinus Virgilianus, sive quæstio de Virgilii locis quibusdam dubiis  
aut corruptis, scripsit Frid. Henr. Bothe. Heidelbergæ et Spiræ 1821.  
In quo libro quædam ex Culice et Ciri explicantur.

Objecerit autem aliquis, cum exstent tot Græci et Latini libri, ex quibus, quasi ex fontibus sapientiæ et humanitatis perennibus, omnes et verborum et rerum elegantiae exhaustientur; qui quam sint egregii et pæne divinitus cogitati, hoc ipsum argumento esse potest, quod multorum hominum curis, qui primos ordines in literis duxerunt, per plura jam nunc sæcula editi, politi et explicati, aliquid tamen semper novis ingenii relictum habent, sive in verbis emendandis, sive in sententiis accuratius explanandis operam colloquere juvet, mirari igitur se: cur his, quæ secundarum partium scripta esse plerique judicarunt, studium tribuatur, in melioribus illis rectius exercendum. Qui hæc velim cogitet: primum, qui ipse potius per se, cuiusmodi sint ea, de quibus disputatur, quam aliorum iudicio stare velit, eum et hæc inspicere, neque omnino, cum non admodum multa supersint veterum Latina scripta, ullum eorum, quæ melius ævum redolere putanda sunt, despiciatui ducere, fas esse; illud enim Ciceronianum dictum in principio ejus libri, qui orator inscribitur, satis concinne ad nostram rem transferri posse. In poetis, ait ille, non Homero soli locus est, (ut de Græcis loquar,) aut Archilochio, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis, vel infra secundos. Alterum, multum interesse, utrum prætermisis melioribus, ea, quæ minoris aestimantur, consecetur quis, vel ex his quoque delibandum aliquid censeat. Deinde lege naturæ quadam comparatum esse, ut, quos homines amore complectimur et nobis devinctos habemus, eorum quæ sit vita, quæ valetudo, quæ artium colendarum ratio, quis rerum omnium status, cognoscere gestiamus; quorum vero scriptorum studio et admiratione imbuti sumus, eorum nulla a nobis aliena, sed omnia, maxima minima, pervolutanda et



legenda esse pufemus. Facit nobiscum hac in re Xenophon, qui, illustrium virorum non seria solum, sed etiam joca digna esse, ait, quæ cognoscantur. \*)

Sunt vero opuscula hæc etiam per se satis digna, quæ legantur, atque inter svavissimos illos flores, quos prata humanitatis, recenti semper amoenitate florentia, præbent, quorum colligendorum ei, qui ea semel adierit, nulla unquam erit satietas, non ultimo certe loco habenda. Qui autem in arte critica ingenium exercere amat, in his multa involuta inveniet, in quibus enodandis operam cum omni animi contentione collocabit. His ego adductus in hoc curriculo, quem scilicet latissimum emendationibus et observationibus patere campum videbam, industriam meam qualemque exercere quondam decrevi, magis quod poetam insigniter diligerem, et ipse magnam oblectationem inde caperem, quam quod me hisce opusculis, in quorum lucubratione doctissimos viros inani saepe labore animum torsisse cognoveram, auxiliis aliquid allaturum, sperarem. Non ea vis animo. Sed in quibusunque haererem, quod vel obscura essent, vel mihi saltem viderentur, libuit in ea conari, possemne aliqua, quæ ad illa expedientia usui quodammodo essent, invenire, eo potius consilio, ut quasi tirocinium mihi in hoc studiorum genere esset, si etiam nihil, quod alicujus pretii videretur, præstitissem, et utile tamen et jucundum, quam ut ederem. Jam cum hoc anno provinciam suscepisset examini publico, in schola nostra ex more solenni habendo, propositis publice chartulis proludendi, et de arguento,

---


\*) Xenoph. in initio Symposii. Άλλ ἔνοτες δοκεῖ τῶν καὶ ὑπὲρ πάγαθιν ἀνδρῶν ἔογα οὐ μέντος τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα, ἀξιομημόνευτα εἶναι, οὐκὶ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδίαις.

quod cum ceteris nostris studiis quodammodo cohæceret, diligenter circumspicerem, venit mihi in mentem eorum, quæ in opuscula Maroniana aliquot abhinc annis tentaveram. Si vero omnia, quæcumque vel in Culice vel in Ciri explicatione egerent, mihi tentanda as sumerem, intelligebam quidem, fore, ut in re longe aliarum virium frustra desudarem. Quodsi autem prætermitterem, quicquid majoris difficultatis esse, vel sine nova librorum copia sanius reddi omnino non posse videretur, concerpens, quæ levioribus nævis aut minore quadam obscuritate laborarent, sperabam, me, quod in hominem etiam antiquitatis minus peritum, vel minus benignam expertum naturam, modo, quo minus vel ingenii vel doctrinæ dotibus valeat, copius diligentiae et assiduitatis adhibeat, cadere potest, aliqua observaturum, quæ veri speciem præ se ferrent. Tali igitur eligendi potestate usus, ad hæc pauca expromenda me contuli, plura forsitan per aliam temporis opportunitatem oblaturus, si hæc non nimis displaceuisse cognovero.

---

## Proœmium in Culicem.

Quoties illa quæstio incidit, an carmen Græcum aut Latinum ad suum auctorem recte relatum sit, quatuor sunt, aut ego fallor, ex quibus potissimum judicari debeat. Nam qui in eo genere occupati sunt, partim testimonia aliorum veterum scriptorum, quibus genuinum esse probent, partim an quædam ex ipso carmine in alios libros translata inveniantur, studiose anquirunt; tertium autem videre solent, an inventio et dispositio, quartum denique, an proprius qui-



dam elocutionis color eundem auctorem arguat. Quinto etiam argumenti generi in libris orationis pedestris sæpius, in poeticis vero rarius locus erit, cum de aliis veterum scriptis in eo, de quo dubitatur, sermonem factum vident. Si igitur ad hæc argumenta, tanquam ad lapidem Lydium, ut ita dixerim, oportet carminis germanitas exigatur, nullum est Græcorum vel Romanorum scriptum, in quo illa firmiora convenient, quam in Culice Maroniano. Sive enim testimonia veterum requirimus, exstant ea certissima; sive librorum auctoritatem, nulli typis excuso, a primo ad novissimum, qui aliquod minorum carminum habet, deest nostrum; sive orationis similitudinem, complura ex potioribus illis operibus expressa, ut moris fuit Maroni, etiam in hoc occurunt.

Primum igitur proferamus ea, quæ ad carmen nostrum pertinentia ex aliis Latinis scriptoribus peti possunt. Etenim familiam ducant Martialis et Statius, scriptores gravissimæ auctoritatis; quos, cum floruerit uterque Virgilium proximus, quippe alter vix sexaginta, alter vero non amplius octoginta annorum spatio ab ævo ipsius distans, nullus facile error decipere potuit. Exstant epigrammata Martialis, quæ ad nostrum carmen spectant, hæc duo:

### VIII. 56.

*Temporibus nostris ætas cum cedat avorum,  
Creverit et major cum duce Roma suo,  
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,  
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.  
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,  
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

~~~~~

*Jugera perdidérat miseræ vicina Cremonæ,
 Flebat et abductas Tityrus æger oves.
 Rísit Tuscus eques, paupertatemque malignam
 Reppulit, et celeri jussit abire fuga.
 Accipe divitias, et ratum maximus esto;
 Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.
 Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
 Marmorea fundens nigra Falerna manu;
 Et libata dabat roseis Carchesia labris,
 Quæ poterant castam sollicitare Deam.
 Excidit attonito pinguis Galatea poetæ,
 Thestylis rubras messibus usta genas.
 Protinus Italianam concepit, et arma virumque,
 Qui modo vix culicem fleverat ore rudi.*

XIV. 185.

*Accipe facundi Culicem studiose Maronis,
 Ne, nugis positis, arma virumque legas. (canas)*

Papinius Statius in præfatione Sylvarum, dum se de consilio
 has edendi Stellæ excusatum voluit, hæc addidit: *Sed et Culicem le-
 gimus et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus. Nec quisquam
 est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remis-
 siore præluserit.* Idem etiam Papinius in Genethliaco Lucani (Sylv.
 II. 7. 75.) Calliopen de poematis huic infanti, ubi adolescentiam at-
 tigerit, tractandis vaticinantem inditicens,

*Hœc, ait, primo juvenis canes sub ævo,
 Ante annos Culicis Maroniæ.*



His, quibus nihil liquidius vel certius, adjungantur duo serioris ævi scriptores, quorum auctoritates ipsæ per se ad rem pro certa affirmandam non satis ponderis habere deberent, nunc vero quoniam illis indubii assentiunt, his etiam aliquid certe fidei habendum. In vita scilicet Lucani, quæ inter Svetoniana vulgo habetur, auctor dicit: *Qui, Lucanus, tantæ levitatis et tam immoderatae lingvæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: Et quantum mihi restat ad Culicem!* Alter locus est in vita Virgilii, quæ Tiberii Donati dicitur, VII: *Poeticam puer auspiciatus, Virgilius, in Balistam, ludi gladiatorii magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit: Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.*

Nocte, die tutum carpe, viator, iter.

Deinde Catalepton, et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, et Culicem, cum esset annorum quindecim. Cujus materia talis est. Pastor, fatigatus æstu, cum sub arbore obdormisset, et serpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem contrivit, et visum serpentem interemit, ac sepulcrum culici stauit, et distichon fecit:

*Parve culex, pecudum custos tibi, tale merenti,
Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

Quandoquidem carmen Maronianum, quod culex inscriberetur, olim exstitisse, illis testimoniis ita fultum corroboratumque videmus, ut nihil possit esse certius; jam illud est reliquum, quod secundo loco posuimus, ut quæ ex illo in alias libros translata fuerint, re-citemus. Cujusmodi tamen nihil neque nostro, quantum video, neque

aliis permultis veterum carminibus accidisse, rem paulo attentius consideranti non adeo mirum. Neque enim alia, credo, causa oratores, philosophi, historiarum ac ceterarum rerum scriptores tam multa ex poetis decerpta in sua contulerunt, nisi quia, quæcunque in privata vita, in communi hominum convictu, in republica administranda, in artibus denique suaderent, vel dissuaderent; probarent, vel improbarerent; accusarent, vel defenserent, eis ex allatis poetarum sententiis plus et luminis et dignitatis et suavitatis accessurum confidebant; quo facilius dulci sono aures caperent, concinna brevitate mentes detinerent, atque sententiarum venustate credentibus persuaderent. Tale quippiam Platonem et Ciceronem squutos esse puto, qui, cum tot versus, Homeri et Æschyli ille, Ennii et Pacuvii hic, suis disputationibus insererent, illis perspicue plus commendationis, quam suis tribuebant. Itaque non ex omnibus, sed ex optimis et veteribus poetis libentissime aliquid sibi desumserunt, tum quod illi plura ad communem usum idonea, numerose dicta habebant, tum quod multarum ætatum consensione probati, in omnium fere hominum ore habitabant. Sed fuerunt docti homines, inter quos clarissimus Heynius, (cujus tanti viri dignitatem ne quis suspicetur me imminuere voluisse, quod ab illo in re, quam ipse properans, et quasi aliud agens, tractavit, dissentio), fuerunt, inquam, qui, cum illis testimoniis fidem derogare non possent, iidem tamen, ne veterem de carmine nostro dubitandi consuetudinem, quæ semel ingenia occupaverat, prorsus deponerent, quod hodie superest, vel aliud esse, vel ex laciniis variis, quæ margini adscriptæ, inscritia librariorum in textum invectæ erant, magnam partem conflatum statuerunt: illud enim in magno prelio habitum fuisse, nostrum ingenio Maronis indignum esse. Argumenta



quibus hanc sententiam tueantur, proferunt nonnulla, neque ea admodum valida; quæ cujusmodi sint, mox, cum ad tertium quæstionis locum venerimus, qui est de compositione, accuratius videbimus. Nunc, quoniam nodum in scirpo quærere mihi videntur, objectionibus ipsis respondebo, quas duas esse dixi. Una est, Culicem falso pro Virgiliano venditari; altera, si etiam fundus carminis ab illo profectus sit, plurimis tamen deterioris ævi ineptiis et nugis scholasticis confertum esse. Quarum neutra magnam mihi vim habere videtur. Evidet non nescius sum, multa scripta aliorum fuisse, aliorum dicta, ea præcipue, quæ trita ista, ut cum Papinio loquar, poetarum orbita, aut laudes Deorum, aut inclytas Argonautarum vel aliorum herorum res gestas tractarent. Nam ut vetera illa, literis nondum inventis, memoriæ solum, vel in librariorum inopia chartis parce mandata, paulatim intercidere, ita foetus posterioris ævi quidam, quorum auctores eadem argumenta, cunctis fere Græciæ poetis communia, sibi describenda sunserunt, pro illis deperditis haberri potuerunt. Adde, quod, cum reges Asiatici præstantissimos Græcorum libros, maximis propositis præmiis, coemendos curarent, improbi homines regia liberalitate turpiter abutebantur, obscura multa, præfixis claronum virorum nominibus, pro veris venditantes. *) Sed nihil ejusmodi Virgilii carminibus obtingere potuit, quæ, florentissima Romanarum literarum ætate, in maxima librariorum copia edita, manibus omnium, qui a mitioribus studiis non plane abhorrerent, pervoluntabantur. Nisi forte barbara Caligulæ amentia, qua libros Maronis

*) Locum Simplicii, qui huic traditioni fidem facit, protulit Muretus.
Mur. orat. etc. Lips. 1726. p. 310.

e bibliothecis removere voluit, *) factum credimus, ut hæc opuscula raro et prave descripta invenirentur. At vero qui tandem fieri potuerat, ut vel duo unam sibi ad dicendum materiem proposuerint, præsertim quæ ab vulgaribus istis poetarum sylvis adeo remota esset, nisi utrumque ex eodem Græco fonte hausisse statuas; vel ut alicui in mentem venerit carmen consicere, eo consilio, ut pro Maronis venderet? quodsi enim verus atque germanus illius foetus aliquando e tenebris oblivionis in lucem erupisset, suppositum pudore offundebret. Quod deinde dicunt de lacinijs e marginे inventis, id in omnibus veterum libris factum novimus, ut quæcumque grammatici vel animi, vel illustrandi causa adscripsissent, ea librarii sæpe in tex- tum reciperen, aut ob inscitiam, aut ut plenius exemplar venderent. At enimvero quid in causa fuisse dicamus, ut ii majore multo licen- tia in Culice, veluti milites in provincia ad deuastandum tradita, grassarentur, quam in aliis libris, nullus video. Itaque multa, quæ non a Virgili, sed ab interpolatoris, male feriati, manu, quisquiliis suas inserentis, profecta credunt, immaturo potius auctoris judicio, quam istius temeritati culpæ danda arbitror. Summa igitur disputa- tionis hujus eo redit: etiamsi nullæ aliæ nobis rationes suppeditarent, quibus nixi Culicem Maroni vindicaremus; tamen hæc ipsa dubita-

*) Sveton. Calig. 34. Cogitavit (Caligula) etiam de Homeri carminibus abolendis; cur enim sibi non licere dicens, quod Platonii licuisset, qui cum e civitate, quam constituebat, ejecerit? Sed et Virgilii, et Titi Livii scripta et imagines paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis auoveret, quorum alterum, ut nullius ingenii minimæque doctrinæ, alterum ut verbosum in historia negligentemque carpebat.



tioni locum non relinquere. Sed tantum abest, ut ea sola nostram adjuvent sententiam, ut nullum fere sit argumentandi genus, quo ea non quodammodo sublevetur.

Veniamus itaque ad tertiam quæstionem, prodatne carminis inventio atque dispositio eundem auctorem, qualem ex ceteris germanis scriptis cognitum habemus, difficultatis longe pleniorē. Sunt enim rationes, quas auctor in illis sibi proposuit, perspicue explicandæ, et cum opusculo dubiæ fidei diligenter comparandæ, neque id solum in summa carminis, sed in singulis etiam partibus faciendum, ut et longi operis, et acris ingenii foret, ea omnia absolvere. Haec ego mecum reputans, non nisi graviora capita quædam stringendo attingere decrevi, partim, quod in his, quæ magis ex sensu judicentur, quam ad certas regulas revocentur necesse est, me diffcili quæstioni satisfacturum desperarem; partim, quod diversis diversa placere meminerim, et facile fieri, ut imponat nobis, si quid præjudicatæ opinionis afferamus. Commodo autem puto me hoc loco facturum, si primum, in quibus versetur hoc carmen, paucis proposuero. Præmissa est igitur dedicatio ad Octavium, versuum XL, ab ipso carmine prorsus aliena. Sequitur deinde illud; cuius argumentum fere est hoc. Oriente sole, pastor capras in saltus compellit, ubi dum illæ dispersæ pascuntur, ipse, baculo nixus, beatam pastoris vitam multis verbis prædicat. (verss. 57-96). Meridiano tempore capræ vallem umbrosam repetunt; ipse, corpore ad fontem strato, quietem agit. Serpens vero, qui hoc tractu paludem adire solebat, iam in eo est, ut pastorem aggrediatur, cum culex hunc aculeo in fixo expergeficit. Pastor, sonno excusso, culicem manu conterit, serpentem, deinde visum, interficit. Vesperascente jam coelo, gregem

dōmūm reducit, se quieti dat. Sed culicis effigies, in primo somno oblata, gratiam sibi ob meritum et vitam servatam pessime redditam graviter conqueritur: se nunc vagum, nulla certa sede, apud inferos ferri. Terrores Orci, poenas scelestorum, præmia, quibus pii gaudent, quæ omnia procul adspexit, narrat; se vero Poenarum domos coactum adire. (verss. 209—583). Pastor ex pergesfactus apud fontem tumulum erigit, cui floribus consito epigramma, a Donato allatum, inscribit, quo grata culicis servetur memoria.

Si itaque hanc carminis quasi materiam, omni ornatu exutam consideramus, non est, quod poeticæ tractationi repugnet, modo hæc pro re nata, sine fuso, instituatur, quæ est una in scribendo virtus. Homo scilicet, magno periculo ereptus, Deorum numini, vel, ut poeta maluit, instrumento, cuius ope illi ipsum servarunt, debita solvit. Nam adfuisse numen auctor (vers. 191) his verbis annuit:

*Qui casus sociaret opem, numenve Deorum,
Numque illi dederitne viam casusve, Deusve,
Prodere sit dubium; voluit sed vincere talis.*

Etsi vero, ut ceteræ artes, quarum opera in manufactis certinuntur, et prudentia et instrumentis, callide ac diligenter adhibendis, indigent, ita illæ, quæ literis sua mandant, sollerti consilio et anxia litura; tamen quod artificibus evenire solet, ut ab industria, nimis operosa, ceteroquin laudanda, insidiæ parentur, a quibus eos sibi non minus, quam a nimia festinatione et incuria cavere oportet, ne immodica amplificandi cupidine meram operum venustatem, quam minore multo labore certius assequerentur, diminuant, idem in iis, quæ solis animi viribus conficiuntur, non raro accidit. Ita, sive vitio sæculi aliquo communi, sive culpa judicii factum dicas, certe-



factum est, ut Maro præter alia nonnulla leviora Culici tria episodia obtruserit, ipsi carmini minime conjuncta, quæ sensum legentis gravissime offendant, ut vix facere possit, quin pannos illos assutos, ut est apud Horatium, auctoris alioquin amantissimus, cogitet.

Unus locus, quo a præceptis Horatianis, quibus tanquam cardinibus verti debet omnis recte scribendi ars, Virgilius quam longissime abscessisse censetur, est verss. 57–96. Videtur sane tota hæc oratio, ipsa per se constans, varia multiplicis generis cognitione diffusa, quemadmodum Horatiana illa vitæ rusticæ prædicatio, (Od. IV. 6) non scripta, quæ ore pastoris, sed alius viri prodiret, qui diversis studiis deditus, procul rustico otio invideret. Sed quod de illo pastore, ad quem tamen in carmine omnia redire debebant, factendum est, nihil inesse ei, unde certa animo nostro imago existat, ut, nisi ex vers. 184 senem fuisse appareret, facile adduceremus, ut auctorem ad exemplar Horatii (Epod. 2. 15.) ^{ca}sum narravisse possemus, quo ipse pæne oppressus fuerat, idem haud scio, an de omnibus Maronianis pastoribus affirmare liceat: nemini suum quoddam inesse ingenium, in natura ipsius situm, certis quasi lineamentis conclusum, quo a ceteris distingvi, et in magna similitudine diversus tamen in sua specie collocari possit. Quo artificio mire usus est Theocritus, mimorum artem suæ callidissime adaptans. Contra pastores apud Virgilium nihil ex suo more agunt, nihil loquuntur; ut doctos homines, non pastores Mantuanos aut Siculos passim nobis audire videamus. Cujus rei hæc ex pluribus exempla apponam. Ecl. I. 55. *Hyblæis apibus.* Ecl. I. 63. *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* Ecl. I. 66. *Pars Schythiam, et rapidum Cretæ veniemus Oaxem.* Ecl. II. 24. *Amphion Dircaeus in Actœo Aracyn-*

who. Ecl. VIII. 44. *Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garantes.* At sane ista omnia observavisse nihil novi est cis, quibus aliqua cum Bucolicis consuetudo fuit.

Alter locus, in quo jure reprehendendus videbitur, est verss. 108-151. Quibus versibus regio, ubi omnis res agitur, describitur. In hac autem descriptione poetam æque, ac in hominum ingenii constitutis, obscuritatis postulamus, eoque etiam magis, quod multa ex vetustis fabulis collecta, a vulgari autem cognitione abstrusa, quasi ad eruditio[n]is ostentationem admiscuerit. Neque enim hæc, quæ minus in promtu posita erant, dilucide tractavit, sed strigoso salebrosoque dicendi genere, quasi opinatus, ut quodque illorum obscurius dictum esset, ita majorem admirationem moturum esse.


Sed ex illis supervacaneis et molestis ornamentis, quibus auctor non ea parsimonia et prudentia usus est, ut ipsa carmen ornare, sed hoc potius fictum videatur, ut esset, cui illa adjungerentur, nullum, ex mea quidem sententia, legentibus ad jucunditatem magis impedimento est, quam narratio illa de rebus inferis. Nam præterquam quod intempestive allata, versuum numero reliquum carminis æquat; quamvis multa splendent, quæ alio forsitan loco et tempore pulchra essent, nec pauca ea referunt, quæ auctor in sexto Aeneidos libro fusius tractavit; nunc, cum ea culicis ore prodantur, difficile est facere, ne lepidum illum Aristophancum jocum cogitemus, quo Socratem, ore an alia quadam via culices strepitum edant, comicus suptiliter disputantem fecit. Quam enim ridiculum est, culicis animum post mortem inter manes volitare, et easdem vices, quas hominis, subire. Itaque, cum viderem simile aliud in Coma Berenices factum,



ubi omnia ab ipsa coma tradi auctor finxit, quod carmen Catullianum ex deperdito Callimachi versum esse constat, in eam incidi suspicionem, Virgilium quoque vestigiis Alexandrini poetæ hæsisse. Quod tamen non eo dico, quo cum carmen Græcum, æque ac Catullus, Latine reddidisse contendam. Nam id neque consuetudo ipsius ferebat, neque hoc loco fecisse, ea, quæ de viris Romanis in Culice tradidit, indicio sunt. Atqui viderit sibi unusquisque, quid hac de re sentiat. Ego quidem ita mihi persuadeo, Virgilium, simul ætate, simul judicio non satis firmum, cum ex scriptis Alexandrinorum, qui quantum studia Romanorum excitaverint, quamque multis eorum ad carmina pangenda exemplo fuerint, eo præsertim tempore, res est notissima, immensam rerum et verborum farraginem animo collegisset, materiam quæsivisse, in quam tractandam, exemplo istorum incitatus, omnia illa congereret; neque, etiamsi simplicem, suapte indole tenuem ac sterilem sibi sumisset, quæ nullam luxuriantem ornamentorum copiam admitteret, ea simpliciter quoque tractanda contentum, quo exiguo per se argumento gloriosiorem atque magnificientiorem dignitatem conciliaret, multa ex mythologicis et historicis traditionibus admisuisse, parum considerantem, nisi summæ carminis naturali nexu adjuncta essent, neque ipsa, neque illud placitum. Hinc illi versus, quibus eadem sententia aliis repetita verbis legitur, ut statim in principio verss. 41-5. et alias. Hinc illa episodia; hinc illi loci, implicatissima rerum struc obruti, qui obscuritate sua legentibus negotium facessunt. In his si auctor sibi minus indulsisset, et ea, quæ impotenti adornandi libidine suborta dicamus, resecare voluisset, multum profecto carmini ad venustatem addidisse videretur. Et sane haud scio, an Maro, proiectiore ætate, matu-

riore ingenio, tale exaggerandi studium omnino deposuerit, neque an in melioribus ejus libris ejusmodi aliqua occurrant. Sed permixtum mihi videri solet, Virgilium necem serpentis non nisi leviter attigisse; in qua expingenda si prolixior esse voluissest, id et ex natura carminis commode fecisse diceretur, et plurima illa, quæ Græci poetæ de Pythonne serpente ab Apolline, et Lernæa hydra ab Hercule cæsa finixerant, ad imitandum habuisset.

Dicendum deinceps esset aliquid de elocutionis similitudine, quæstione non minus implicita, quod, cum singulæ multæ voces ac dicta, propria quædam verborum structura et comprehensio, omnis denique dictionis color ac habitus usui et consuetudini Virgilii accurate conferendus sit; quæ vero nennulla carmen nostrum continet, etiam in illis obvia, de quibus nemo dubitat, ne certo quidem argumento esse debeant; siquidem his etiam imitator, qui non, ut iste centorum auctor, omnia ex unius auctoris penu adsumens, falsa quadam Maronianæ dictionis specie sua induceret, uti potuerat: hac de re qui non insipienter judicare velit, is totus in Marone sit, omnem ejus concinnam et numerosam verborum juncturam ex multa lectione oporteat familiarissimam habeat, et leonem, ut in proverbio est, ex ungue agnoscat. At video, quam difficile sit, hæc omnia præstare, eum autem, qui singulas voces aut dicta proderet, minimam tamen partem proditurum eorum, unde similitudo dictionis efficitur. Inesse vero Culici ejusmodi, exemplo fuerint hoc tempore: vox *aereus*, Virgilio de arboribus usitatissimus; item quæ passim legimus: Cul. 202. procedit *Vesper ab Oeta*. Ecl. VIII. 50. deserit *Hesperus Oetam*. Cul. vers. 317. *acer uterque*, Hector et Ajax, *fulminibus coelo veluti frugor editus alto*. Aen. VI. vers. 843. ge-



minos, duo fulmina belli. Cul. vers. 569. *devota triumphis moenia Cathaginis.* Aen. I. vers. 712. *pesti devota futuræ,* Dido. Et id genus alia.

Miror sane, eos, qui Culicem non Maronis esse contenderunt, non id quæsivisse, quid causæ esset, quod cum illud carmen perspicue ad bucolicum genus referendum sit, auctor volumine Bucolicorum non id quoque complexus fuerit. At et multæ veterum librorum inscriptiones, et hæc certe a Grammaticis orta est; quod in universum plurimis, ex Platonicis libris et aliunde desumptis, exemplis demonstrare facile esset, si exemplis opus foret in re notissima. Ipse enim Eclogas appellavit. Quia, credo, sollicitam famæ curam suscipiens, ceteris, quæ junior ediderat, rejectis, hæc sola pro suis haberi voluit. Inde etiam factum est, ut hæc provincia, æque ac idylliorum, tam late pateret, ut variis multiplicis generis carminibus locus esset; cuiusmodi Theocriteis multa insunt, Virgilianis quidem Ecloga quarta. Facile vero poeta, qui quam parum sibi tribuerit, vel ex eo appareat, quod brevi ante mortem suam amicis, ut Aeneida flammis darent, imperavisse dicitur, Culicem non agnoverit. Quæcumque fuerit, constitit certe illi sua ratio. Nam etsi hoc carmen non parvi apud Romanos æstimatum fuisse, ex verbis Statii et illis Lucani intelligimus, neque tamen ita ab omni parte absolutum est, ut nihil præterea desideremus.

Sed quæritur, quonam tempore Virgilium Culicem composuisse statuamus? Respondeo, ut dedicatio cum ipso carmine nullis communionis vinculis cohæret, sic non uno tempore scripta sunt. Carmen ipsum Virgilius, si Donato, sive alii, quis tandem fuerit, fidem habeamus, scripsit annos quindecim natus, anno scilicet u. 699; sin minus, tamen Papinii verba, ne majorem multo scripsisse statuamus,

vitant. Aliter enim ille non Lucano gloriæ dedisset, ut carmina sua ederet, nondum ad eam ætatem provectus, qua Virgilius Culicem. Scaligero contraria quidem sententia arrisit; cui tamen neminem, qui Statium paulo accuratius inspexerit, assensurum puto. Sed poeta, ne juvenile exercitium, nondum satis limatum, ederet, sollicita veracula proibitus, membranis intus inclusis primo continuuit. Nam carmen anno u. 713 Octavio inscriptum credo, cum agri Mantuani veteranis militibus, e Græcia reversis, distribuerentur, *) et noster, suo etiam amissō, multis agitatus casib⁹, ita, ut etiam capit⁹ periculum adierit, Romam confugisset. Illis scilicet temporibus imperatori, ut res suas ipsi commendaret, vel pro reddit⁹ jam agris gratias agebat, dedicationem una cum carmine misisse ex versu 2 colligo.

Executus sum ea, quæ destinaveram, non ut volui quidem, sed ut potui. Restat, ut extremi aliquid habeat commentariolum nostrum, brevi commemorare, quis Culicem ediderit, quis quoniam sermone verterit. Sed de editionibus Latinis jam in superioribus quædam dixi; quarum qui uberiorem cognitionem requirit, elenchum editionum Heynianum adeat; qui autem in ullam linguam convertit, earum, quæ hodie usu vigent, præter virum clarissimum I. H. Vossium, vidi neminem. Is vero ceteris Maronis carminibus, Germanice editis, hoc quoque una cum Moreto et Copa subjunxit.

Ad verss. 1, 2.

*Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.*

*) Appiani Hist. bell. civ. V, 12, seqq. Dio Cassius. XLVIII, 22.



Ita auctor, carmen suum Octavio instituturus, exorditur, ut scilicet illud dicat esse levioris argumenti. Etsi hi versus interpretationis sunt minime implicitæ, pauca tamen ad illos annotare libatum est. Ut igitur illud attingam, quod omnibus notum est, poetæ saepius, cum levia tractent, ludere se ajunt; ita Horatius in Od. I, 32, 1.

Poscimur: — si quid vacui sub umbra

Lusimus tecum, (Barbite!)

Idem Od. IV, 9, 9.

Nec, si quid olim lusit Anacreon,

Delevit ætas.

Ovidius, in libro Tristium V, 1, 7. *Læta et juvenilia lusi.* Dicere autem id solent ad consuetudinem poetarum Græcorum, qui ad eandem rationem voce *ταὶςεν* utuntur. Adducam locum Pindari ex Olymp. I, 24.

Οῖα παιῶμεν φιλάν

ἄνδρες ἀμφὶ θαυμὰ

τραπέζαν.

Sed ejusmodi plura congerere nihil esset negotii. Porro, non sine causa factum est, ut Thalia carmini modulari dixerit, illam enim comoediæ, carminibus convivalibus et jocosis, neque minus agris colendis et arboribus serendis præesse credebant. Est igitur in carmine incerti auctoris, quod Musarum inventa inscribitur:

Comica lascivo gaudet sermone Thalia.

Deinde Artein textoriam cum poetica saepius comparari, nemini, cui aliquis cum veteribus poetis usus fuit, ignotum esse debet. Cujus rei cum multa reperiantur vestigia, aliquot hoc loco proponam. Minervam igitur, ut telas invenisse, ita poetarum laboribus moderari serebant; unde Horatianum illud: *invita Minerva.* Vide-

mus etiam voces quasdam utrique arti communes fuisse, ut pectinem, et illa ordiendi, texendi, vel nectendi verba. Ita legimus apud Senecam, de Claud. morte. *At Lachesis, quæ et ipsa homini fortissimo faueret, fecit, et plena orditur manu, et Neroni multos annos de suo (fuso) donat.* Et apud Plinium in hist. nat. XI, 24. *ordiri telas araneos.* Et de carminibus dictum apud Statium, in Sylvis. I, 1, 24. *Orsa Menandi.* Cicero in litt. ad Quintum fratrem, III, 5. *Sane, ait, texebatur opus luculente, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis adferebat.* Ovid. in ep. ex Ponto. IV, 2, 50. *Nectere verba numeris.* Græcis poetis idem est ἴφαινειν vel πλέξειν. Quare Homerus in Il. III, 212. ὅτε δὴ μίθους καὶ μύθεων πᾶσιν ἴφαινον. Pindarus in Nem. IV, 71. μελεων ἔξι φαινειν. Critias apud Athenæum, Tom. V. pag. 172. ed. Schweighaeuser. μελεων ὕδας πλέξαντα. At nihil necesse est in re vulgaris cognitionis auctoritates conquirere. Illud potius videbimus, quid Maro secutus poetas cum araneis comparauerit; nam cum apibus saepe comparatos invenimus, et constat quidem, id trans mare petitum esse; dixit enim Plato in Ione, Tom. IV. pag. 186. ed. Bip. Λέγοντες γὰρ πρὸς ἡμᾶς ὃι ποιηταῖ, ὅτι ἀπὸ κρητῶν μελισσέων, ἐκ Μοιθῶν κήπων τινῶν καὶ ναυπῶν δρεπόμενοι τὰ μὲλη ἡμῖν φέρονται, ὥσπερ ἀ μελισταί, καὶ ἀντοὶ ὄντων πετόμενοι. Ergo illud etiam ex Græco fonte manasse credo, et araneos ex reconditione aliqua opinione lyricæ artis finitos fuisse; seu quod animal illud musicæ favere observaverint, seu quod nativam artem, non industria partam, exerceret. Aristophanis loco in Ran. vers. 1310, seqq. hanc quoque suspicionem non nihil adjuvari mihi visum est. Apud illum autem Aeschylus hæc ait:

ἀλινόνες, αἱ παρ' ἀεννάους θυλάσσης
 κίμασι βιωμίλλετε,



τεττυγοκβαι νοτερης επερον
 ου αινι χρου δροσιδύμεναι·
 οι δι παρόφιοι κατά γενίας
 ει ει ει ει ει ειλίσσετε δακτίλοις φάλαγγες
 ιστότονα πηνίοματα,
 περικίδος ἀνιδον μιλέτας,
 ἵν ὁ γιλακλος ἔπαλλε δελφίς
 πρώραις κρανεμβύλοις,
 μαντεῖα καὶ σταδίοις.
 οινάνθις γάνος ἀπτίλον,
 βότρονος ἔλιξα πυντίπονον.

Versus illos ad similitudinem Euripideorum quorundam expressos fuisse, scholiastes obiter notavit. Videtur enim comicus Euripidi mollitiem quandam objurgavisse, qua factum est, ut vel nimiae imaginum copiae studeret, vel in hac verbis efferenda justo prolixior esset. Quatuor autem proposita sunt, quae poetico studio savent: halcyones nimirum, aranei, delphini et vina. Genus halcyonum cantare testimonio Plinii assirimatum est, in hist. nat. X, 32. Delphinos musicen amare cognoscere licet ex iis, quae de Arione tradita sunt. *) Vino autem poeticus furor accenditur. Quartum ergo genus non fortuito interpositum, sed eandem fere habere rationem existimandum est.

ad vers. 9.

Excusans carminis levitatem, quod hoc tempore Octavio mittit, poeta haec addit:

*Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
 Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
 Ut mihi digna tuo poliantur carmina sensu.*

*) Herod. I, 23.

Quod ad *fructus securos* attinet, verissima mihi videtur Ascensionis interpretatio: Virgilium scilicet id dixisse: quando dabitur mihi, per turbidum reipublicæ statum, in pace et otio fructus agrorum percipere, et vitam securam, Musis deditam, agere. Quare illud miramur, qui Heynio et Henrico Bothe, viris doctissimis, probari potuerit alia minus apta, ut essent fructus ingenii. Neque enim, an fructus, hoc sensu nude positum, usquam inveniatur, facile dixerim.

ad verss. 13 - 16.

sive educat illum (Phoebum)

*Alma Chinæreo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte;*

Est hæc usitata hodie lectio, in quam ex conjectura Bembi, quod scimus, duo irrepserunt: *Xanthus*, ac *nemus Asteriæ*, cum codices habeant priore loco: *Xanthi*, altero autem: *decus astriferum*, vel *astrigerum*, vel *astrigeri*. Illis vero lectionibus, etsi sententiam satis commodam præbeant, rejectis, veterem scripturam hoc loco tendendam esse judicabit, quisquis conjecturæ vel sagacissimæ nullum locum esse cogitaverit, nisi ubi ex iis verbis, quæ codices exhibent, prorsus nulla probabilis, minime autem, ubi certe non deterior sententia exeat. Jam ut ad illa, quæ hodie leguntur, revertamur, *Xanthum*, urbem Lyciæ, pro ipsa Lycia; *nemus Asteriæ*, in Creta situm, pro insula illa dictum volunt; poetam ita dixisse, Apollinem carmini adspiraturum esse, sive in Lycia, sive in Creta, sive in Parnasso monte immoraretur, quibus in locis honore præcipuo celebrabatur. Est talis quidem formula invocandi frequentissima, cuius etiam apud Aristophanem in nubibus exemplum habemus. Con-



vocat enim Socrates nubes ex quatuor coeli regionibus, altissimos cuiusque montes, in quibus illi potissimum immorari deberent, nominans. Si vero novam lectionem migrare, et veteri locum facere jubemus, Deus ille ex natali terra, quam multi, etiam Homerus, (II. IV. 101 et 119) Lyciam fuisse serebant, et ex duobus muneribus proprie suis appellatur. Nam almam pro almam terram ex usu Græcorum dici, et decus astrigerum pro coelo credo.

ad verss. 97 - 109.

*Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Compacta solidum modulatur arundine carmen,
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flamas in utrumque rapaces;
Et non compellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem residebat cœrula muscum.
Iam medias operum partes evectus erat Sol,
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
At procul adspexit luco residere virenti,
Delia Diva, tuo.*

Hos versus commentatoribus negotium exhibuisse video; legiture-nim in omnibus libris in versu 103: *Et jam compellente;* in versu 103 variant editiones, quod in aliis: *Et procul adspexit,* in aliis: *Ut procul* scriptum est. Quibus in verbis quin aliquid vitii insit, dubitari vix potest. Nam ut ex vetere scriptura legitur, versus 106, 107 jejunam continent repetitionem eorum, quæ in superioribus dicta sunt.

Quare Scaliger ex temeraria ratione, quam in carmine nostro emendando sequutus est, multos versus transponendos, Heynius vero versus 103, 104, 105, tanquam insitios ejiciendos censuit. Ego autem leniore medela usus, quæ alter divulsit et transposuit, alter delenda voluit, solito ordine servato, retinenda duco, et ad eum, quem expressi modum, legenda esse suspicor. Illud dubitant, possitne repetere ad locum latine dici. Ita tamen dictum reperi apud Livium, XXV. 28. *retro in Africam repetere*, et apud Gratianum in Cynegeticis. vers. 245. *ad prima vestigia repetere*. Est etiam apud Virgilium in Aeneide, VII, 240. locus non admodum absimilis: *Hinc Dardanus ortus, huc repetit.*

ad vers. 126.

Poeta arbores enumerans, quibus vallem consitam describit, populos, in quas Phaetonis sorores mutatae traduntur, his verbis designat:

*At quibus insigni curru projectus equorum
Ambustos Phaeton luctu mutaverat artus,*

Ita enim vulgo legitur. Cum tamen illud *curru* depravatum esse videatur, scribendum censeo *cursu*.

ad verss. 185 - 187.

Pastor culicis aculeo vulneratus, ut est in carmine,
*prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus, excessit sensus.*

Etsi hic locus non ejusmodi esse videtur, ut commentatoribus difficultatem objicere possit, tamen dubitaverunt, quod deest in libris nota illa hypodiastoles, qua post vocem *spiritus* interpungendum esse putavi.

Poeta, cum dixisset, truncum arboris pastorem arripuisse, quo serpentem occideret, hæc addit:

*Qui casus sociaret opem, numenve Deorum,
Numque illi dederitne viam casusve, Deusve,
Prodere sit dubium; voluit sed vincere talis.*

Apposui illos versus, ut scribendos esse existimo, non ut in libris vulgo scripti sunt; nam in omnibus, quod ego quidem rescriverim, pro *numque* scriptum est *namque*, et *tales* pro *talis*. Ne vero hæc conjectura alicui eo minus arrideat, quod ab usitata Latini sermonis consuetudine abesse fortasse videbitur, similem afferam locum ex Aeneide, II, 758 seqq. ubi Aeneas ita loquitur:

*Heu! misero conjux fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum.*

Sed ut prolusionis finem faciamus, et veniamus tandem ad id, quod mihi hæc Vestro judicio, L. B. submittendi facultatem præbuit, ratio temporis monet. Itaque, ut tabula ad calcem subjecta indicabit, alumni scholæ nostræ die XII et XIII Septembr. virium suarum periculum scribendo facient. Quibus exercitationibus absolutis, die XIV et sequentibus in arenam descendant, quicquid in literis prosectorint, publico tentamine probaturi. Qui deinde subselliorum locus cuique eorum pro ea, quam probavit industriam, per proximum studiorum curriculum, cum ad solitos labores denuo redierimus, tenendus, consensu nostro adjudicatus fuerit, in auditorio majore, Gymnasi quondam, ex solenni more, in publica concione die III Octbr. proclamabitur. Vos igitur, quicunque nostris studiis favetis, ut et juvenibus, in spem patriæ accrescentibus, et nobis, qui nihil antiquius habemus, quam ut illis in disciplinis liberalioribus viam præcamus, frequentia Vesta ut præmium anteacti laboris, ita incitamentum futuri dulcissimum addatis, etiam atque etiam rogamus.

Den offentlige Examen i Odense Cathedral-skole for Aaret 1825 begynder Mandagen den 12 September, og fortsættes daglig fra Kl. 9 til 12, og fra 3 til 6 i følgende Orden:

S k r i f t l i g P r ö v e.

Mandag den 12 September.	
Formiddag.	
IV. og III. Klasse	<i>Latinsk Stil</i>
	Ettermiddag.
IV. Klasse	<i>Over. af Latin og Fransk</i>
III. —	<i>Overståttelse af Latin</i>

Tirsdag den 13 September.	
Formiddag.	
IV. og III. Klasse	<i>Religion og</i>
IV. Klasse	<i>Overståttelse af Tydsk</i>
	Ettermiddag.
IV. og III. Klasse	<i>Historie</i>

M u n d t l i g P r ö v e :

Onsdag den 14 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Latin</i>
III. Klasse	<i>Hebraisk</i>
	Ettermiddag.
IV. Klasse	<i>Latin</i>
III. —	<i>Tydsk</i>

Löverdag den 17 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Historie og Geographie</i>
III. Klasse	<i>Fransk</i>
	Ettermiddag.
IV. Klasse	<i>Historie og Geographie</i>
III. —	<i>Physik</i>

Torsdag den 15 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Græsk</i>
II. og I. Klasse	<i>Religion</i>
	Ettermiddag.
IV. Klasse	<i>Græsk</i>
II. —	<i>Tydsk</i>

Mandag den 19 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Arithmetik og Geometrie</i>
III. Klasse	<i>Latin</i>
	Ettermiddag.
Candidaterne og IV. Klasse	<i>Hebraisk</i>
II. Klasse	<i>Latin</i>

Fredag den 16 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Religion og nye Testam.</i>
II. Klasse	<i>Historie og Geographie</i>
	Ettermiddag.
IV. Klasse	<i>Religion og nye Testam.</i>
II. og I. Klasse	<i>Dansk</i>

Tirsdag den 20 September.	
Formiddag.	
Candidaterne	<i>Tydsk og Fransk</i>
III. Klasse	<i>Historie og Geographie</i>
	Ettermiddag.
Candidaterne og IV. Klasse	<i>Physik</i>
I. Klasse	<i>Latin, Historie og Geographie</i>

M u n d t l i g P r ö v e.

Onsdag den 21 September.

Formiddag.

III. Klasse Religion

II. — . . . Arithmetik og Geometri

Eftermiddag.

IV. Klasse . . . Tysk og Fransk

I. — . . . Fransk og Naturhistorie

Torsdag den 22 September.

Formiddag.

III. Klasse Græsk

Torsdag den 22 September.

Eftermiddag.

IV. og I. Klasse Arithmetik og Geometri

II. Klasse Fransk

Fredag den 23 September.

Formiddag.

III. Klasse . . . Arithmetik og Geometri

II. — Græsk

Eftermiddag.

II. Klasse Naturhistorie

Löverdagen den 1ste October Formiddag Klokken 9 foretages den forløbige Pröve med dem, der ere anmeldte til Optagelse i Skolen fra næste Skolcaars Begyndelse.

Efterat Opslyttelse i hæiere Klasser, og Omslyttelse i selve Klasserne er, ifølge Examens Udfald, samt Disciplenes Flid og Fremgang i det forløbne Skoleaar, bestemt ved den Censur, som efter tilendebragt Examen holdes af samtlige Lærere, foretages Translocationen i en offentlig Forsamling, som holdes paa Gymnasiets Auditorium, Mandagen den 3 October Klokken 10 Formiddag.

De Candidater, som iaar skulle dimitteres til Universitetet, ere følgende:

- 1) Carl Frid. Ferd. Opitius fra Odense.
- 2) Ludv. Frid. Krag fra Odense.
- 3) Peter Frid. Hansen fra Odense.
- 4) Tob. Andr. Frid. Paulsen fra Odense.
- 5) Ludv. Aug. Frid. Rasmussen fra Odense.
- 6) Jacob Elias Rasmussen fra Odense.
- 7) Frid. Andreas Hansen fra Skebye i Fyen.

